





22

1776, 4

4

DISSERTATIONEM IVRIDICAM  
 DE  
 QVARTA DIVI PII  
 EIVSQVE  
 VSV HODIERNO

\*\*\*\*\*

PRÆSIDE  
 D. LVDOVICO GODOFREDO MADIHN  
 IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD.  
 ET FACVLT. IVRID. ADS.

IN AVDITORIO IVRIDICO

PVBLICE DEFENDET

D. IVNII MDCCLXXVI.

H. L. Q. C.

IOANNES DAVID WVSTROW  
 BEROLINAS.

W. 244




---

TRAIECTI CIS VIADRVM,  
 TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI;





ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO IOSEPHO MAXIM.

LIBERO BARONI

DE FÜRST ET KVPFERBERG

REGNI BORVSSICI OMNIVMQVE TER-

RARVM BORVSSICARVM ET

BRANDENBVRGICARVM

CANCELLARIO SVPREMO

IVSTITIAE STATORI SVMMO

ATQVE

MINISTRO STATVS INTIMO

A 2

HANC

HANC DISSERTATIONEM

IN

SVMMAE REVERENTIAE SIGNVM

CVM VOTO

OMNIS GENERIS PROSPERITATVM

SACRAM ESSE CVPIIT

OMNIVM MAXIME DEVOTVS

CVLTOR

IOANNES DAVID WVSTROW,

BEROLINAS;

§. I.





§. I.

INSTITVTI RATIO.

 Quum ex rationibus academicis specimen aliquod a me exhibendum esset, de quarta D. Pii, eiusque vsu hodierno agere apud animum constitui. Eo magis enim hoc Iuris civilis caput neque inelegans neque omni vsu et apud nos destitutum peculiari expositione dignum mihi visum fuit, quo magis idem illud in compendiis Institutionum et Pandectarum aut plane omitti *a)* aut negligi, aut etiam falsa ratione tractari soleat *b)*. Ea insuper quae rectius a solidioris doctrinae interpretibus exposita passim et in multis libris dispersa apud eosdem leguntur, colligere non inutile iam esset opus, praesertim quum in hoc capite peculiares tractationes aut plane in promptu non sint aut perinde sit, ac si plane deficient. Scripta autem hoc caput illustrantia sequentia recenset Bibliotheca Lipeuio Ienichia-

A 3

na

*a)* Vt HELFELDIUS in *Iurisprud. forens. sec. ord. Pand.*

*b)* Vt LVDOVICI in *doctrina Pand.* et I. H. BOEHMERVS in *Ius Digest.*

no c). IO. VOLCKM. BECHMANNI disp. de quartis. IO. ANDR. FROMMANN disp. de quarta Anoniana, et quo pertinere etiam videtur EIVSDEM disp. de arrogatione impuberis, Tub. 1663. SAM. REYHER disp. de quartis in iure nostro occurrentibus et in specie de quarta duplicata Kilon. 1703. ERNST. FRID. SCHROETER disp. de septem quartis Ien. 1670. STEINBERGII disp. de quartis iuridicis Groen. IO. PHIL. STREIT disp. de quatuor quartis Erf. 1706. Et quae addit III. SCHOTTIVS d). HENR. RVD. REDECKER diss. de quartis Rost. 1673. HENR. IAC. SNOECKII disp. de quadriga quaratarum Trai. ad Rhen. 1735. IO. VOETII diss. de quatuor quartis Erford. 1706. IO. THOM. WEYLACH disp. de iure quaratarum Aug. Trev. 1742. Ex hisce vero omnibus praeter SCHROETERVM nullius copiam nancisci potuimus. Hic autem ex cerebrina aequitate falsam defendit sententiam et per transennam tantum de eodem egit. Labore nostro iam plene perfecto, cognouimus deinde, coryphaeum illum Hispanorum GREG. MAIASIVM omnium optime de arrogationibus impuberum simulque de quarta nostra disputasse Tom. I. Disput. Iur. ciuil. disp. XII.

## §. II.

VICISSITVDINES ARROGATIONVM ANTE  
D. PIVM.

Actus quo quis iura liberorum legitimorum publica accedente auctoritate acquirit qui eo tempore quo fit et hodie e), qui a natiuitate eadem non habet dicitur adoptio f). Quae si intuitu hominis sui iuris contin-

git

c) Vti tantum potuimus editione quae prodiit, Lips. 1736.

d) Supplem. et emendat. Mart. Lipenii Bibliothecae realis iuridicae. Lips. 1775.

e) Scil. post constitutionem Iustiniani in L. 7. C. de natur. lib. et Nov. 89. RITTERSHVS. Method. Exposit. Nouell. P. IV. c. p. 12.

f) Vnde facile est ad intelligendum non vna ratione laborare definitionem: adoptio est adfymio in locum liberi ciuilitate legitimi eius qui natura non est liber.

git dicitur *arrogatio*. Hanc non ex LL. XII. Tab. neque Praetorum Edictis, sed interpretationibus Ictorum introductam esse ad vnum fere omnes interpretes, verba IUSTINIANI in *pr. I. de adquis. per adrogat.* — est et alterius per vniuersitatem successio, quae neque *Lege XII. Tab.* neque Praetoris Edicto, sed eo iure quod consensu receptum est, introducta est, de iure ex moliminibus Ictorum orto, explicantes g) contendunt. Attamen non solum ius quod consensu receptum est, frequentius de moribus indeterminatis et quidem maiorum i. e. ante LL. XII. Tab. accipi solet, sed etiam nihil impedit quo minus iam origo arrogationum in comitiis curiatis suscipiendarum ante Legum decemviralium sanctionem ponenda sit, praesertim quum ex indole patriae potestatis sub Romulo iam constitutae, ex heredis institutione iam tunc in iisdem comitiis obuente et denique ex eo, quod Graecis haud incognita fuerit h), aliqua huic coniecturae accedat probabilis ratio. Nec magis placet sententia summi, quem Institutiones Iustinianaeae naetae sunt commentatoris FR. BROEII i) effectus arrogationum quoad personas et quoad res, distinguentis, illosque iam tempore LL. XII. Tab. hos vero ex Prudentum interpretationibus inuestos putantis. Namque si iam eo tempore arrogatio obuenerit, patriamque potestatem induxerit, improbabile profus est, arrogatum bona iure domini a bonis arrogatoris separata habuisse. Fiebat autem auctore populo per curias k) conuocato hacce solenni formula l): *Velitis. iubeatis*

g) EVERH. OTTO *Iurisprud. Symb. Exercit. trias* (Trai. ad Rh. 1730.) p. 256.

h) Exempla adoptionum et arrogationum apud Graecos videre licet apud EVERH. OTTONEM *libr. cit. Exerc. III. cap. I.*

i) *Ad pr. Inst. de adquis. per adrogat.*

k) Exempla arrogationum in aliis comitiis susceptarum neque occurrunt neque occurrere poterant, quum in ceteris neque Pontifices adessent neque de rebus sacris, et praecipue priuatis agi soleret.

l) A. GELL. *Noct. Att. L. V. c. 19. CIC. pro domo c. 29.*

beat. Quirites. vii. Lucius. Valerius. Lucio. Filio. iam. iure. Lege. q. filius. sibi. fiet. quam. si. ex. eo. patre. matre. q. familiar. eius. natus. esset. vii. q. ei. vitae. necit. q. in. eo. potestas. fiet. vii. patri. endo. filio. est. haec. ita. vii. dixi. ita. vos. Quirites. rogo. Ab hac rogationis formula denominationem quoque suam accepit arrogatio, quaeque triplex erat. Interrogabatur enim et is qui arrogabat, et is, qui arrogabatur, et populus *m*), cuius auspiciis fiebat. Rationem quare in comitiis fieri debuisset omnes fere in eo ponunt, quod sui iuris homo alieni iuris non fieri potuisset absque auctoritate populi, quae vero si vera ratio fuit, certe non vnica et praecipua erat, potius propterea in comitiis curiatis fieri debebat quod non solum in aliam nunc curiam scil. arrogantis transiret arrogatus, sed etiam quoniam noua sacra adquirebat, atque vt sua non interirentur, quod in adoptionibus non adeo metuendum erat *n*). Mansit hic ritus arrogandi vsque dum sub Imperatoribus et inprimis sub ANTONINO sola rescripti principalis auctoritas eam sustineret. Neque cuiquam hoc mirum videri potest qui non nescit comitia curiata ad illud vsque tempus durasse. Luculentissimus huius rei testis est TACITVS *hisor. lib. I. cap. 15.* — *si te priuatus lege curiata apud Pontifices vt moris est adoptarem* — et. *Annal. lib. 12. cap. 26. et 41.* — *rogataque lex, qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transferret o*). Sublato deinde veteri more arrogationes per Prin-

- m*) Vt recte aduertit NOODTIUS *ad tit. de adopt. p. 24.* (Edit. Lugd.) simulque CAIVM qui in *L. 2. d. 2.* duplicis tantum rogationis meminit, in concordiam redigit.
- n*) EV. OTTON. *Iurispr. Symp. Exerc. III. cap. II. p. 258.* et de hac interemptione sacrorum legi meretur omnino CHRIST. GOTTL. SCHWARTZ *diff. de detestatione sacrorum*, Altorf. 1726, rec. 1729.
- o*) Adde SVET. *Aug. cap. 65.* et VLP. *fragm. tit. 8. DION. Lib. 29. et 43. APPIAN. de bello ciuil. lib. 3. GELL. lib. 5. c. 19.* Vexat interpretes vnus CAIVS qui licet cum GELLIO, TACITOQVE vno fere tempore et ante VLPANVM vixerit tamen *L. 2. ff. de adopt.*

Principum auctoritatem iam nunc frequenter occurrunt Ita **VOPIS** **CVS** eiusmodi arrogationis sub **Diuo AVRELIANO** meminit *cap. 4.* et luculentissimum testimonium nobis praebet *L. 2. C. de adopt.* vbi **Impp. DIOCLET.** et **MAXIM.** in fine aiunt — *arrogatio etenim ex indulgentia Principali facta, perinde valet apud Praetorem vel Praesidem incrimata, ac si per populum iure antiquo facta esset.*

§. III.

VICISSITVDINES ADROGATIONVM IMPVBERVM, EARVMQVE REQUISITA.

Arrogatio impuberum vsque ad **D. Antoninum Pium** prohibita erat **GELL.** lib. 3. c. 19. — nisi *vesticeps p)* **VLP.** tit. 8. §. 5. — *Pupilli quidem antea adrogari non poterant, nunc autem possunt ex constitutione D. Antonini.* Rationem huius rei tradit idem **GELLIVS** *l. c.* quoniam tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem potestatemque fas non est, vt caput liberum fidei suae commissum, alienae ditioni subiiciant. Olim quidem puberes minores **XXV**annis absque auctoritate curatoris adrogari poterant, ex **D. CLAVDII** autem constitutione eam requiri tradit **MODESTINVS** *L. 8. h. t.* Quamuis igitur

nunc

*Generalis enim, inquit; adoptio duobus modis fit aut Principis auctoritate, aut magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt. Diversimode explicant hunc locum SCHVLTINGIVS ad Vlp. l. c. MARCILIVS ad §. 2. Inst. RAEVARDVS Var. l. 5. c. 12. van de WATER Observat. lib. III. c. 16. WIELING. Lect. I. C. L. 2. c. 7. &c. Nollem cum plerisque manum TRIBONIANI ibi agnoscere, potius dicerem CAIVM in h. l. tantum vfitatissimi modi mentionem fecisse.*

p) *Vesticeps i. e. vt FESTVS explicat pubertate vestitus, quoniam ea aetate togam sumere solebant liberam, praesertim quum terminus pubertatis nondum satis definitus esset. Vide sis omnino VLR. HVBERI Digress. Justin. Lib. III. c. 15. — Locum ex CICERONIS or. pro domo allegat. CVIACIVS, ad Quaest. Pap. lib. 29. (opp. posth. Tom. I. Edit. fabr. p. 772.) qui GELLIO obstaret; sed illum nullibi inuenire potui.*

B

nunc ex indulgentia principali impuberes adrogare licebat, causae cognitio tamen a Praetore aut Praeside, *L. 2. C. de adopt. et hodie a magistratu tutelari instituenda, eidem praecedere debebat, qua illae iterum difficiles reddebantur. Hanc causae cognitionem, quae in L. 17. ff. de adopt. & §. 3. I. eod. describitur, quod adinet 1) inuitu adrogantiis, eorum duntaxat, inquit ICtus VLP IANVS Lib. 26. ad Sabinum, pupillorum adrogatio permitenda est his, qui vel naturali cognatione vel sanctissima adfectione ducti adoptarunt, ceterorum prohibenda, ne esset in potestate tutorum et substitutionem a patre factam extinguere — deinde cuius vitae sit is qui velit pupillum redigere in familiam suam. Quare etiam cognatus malis moribus inquinatus, qui malum praebiturus esset exemplum pupillo, cuiusque regimen adrogato impuberi salubre esse non possit, recte ab adrogatione arceatur. Tertio, pergit ICtus, cuius idem aetatis sit, an melius sit, de liberis procreandis cogitare eum, quam ex aliena familia quemquam redigere in potestatem suam. Praeterea videndum est, an non debeat permitti ei, qui vel unum habeat vel plures liberos adoptare alium, ne aut illarum, quos iustis nuptiis procreauit, deminuat spes, quam unusquisque liberorum obsequio parat sibi, aut qui adoptatus fuit, minus percipiat, quam dignum erit ei consequi. In omni iam adoptione hoc requirebatur. Princeps enim causa adoptionis fuit ut defectus naturalium liberorum suppleretur, quapropter etiam fuerunt, qui numquam liberis iam extantibus adrogari licuisse adfirmarent, quique eum in finem prouocant ad CICERONEM qui *Or. pro domo cap. 13.* ait: *Quod est, Pontifices, ius adoptionis? Nempe ut is adoptet qui neque procreare iam liberos possit, et cum potuerit, sit expertus — et paullo post — adoptat annos viginti natus, etiam minor, senatorem. Liberrumne causa? ut procreare potest. Habet uxorem, suscepit etiam liberos. Sed licet libera re publica raro extraneum quis adoptauerit, qui liberos iam haberit, id tamen postea non adeo infrequenter factum fuisse**

fuisse abunde elicit, nunquam mihi nisi praefata reuerentia nuncopandum nostrae olim Viadrinae insignis decus REINOLDVS q) ex §. 2. I. de legit. adgnat. success. & ex L. 23. ff. de adopt. Sic igitur et is qui v. c. degeneres liberos habebat arrogare haud prohibebatur.

§. IV.

Intuitu rationis vt aiunt compulsiuae exigit idem VLPIANVS pr. L. 17. nec ei permittitur arrogare qui tutelam vel curam alicuius administravit si minor viginti quinque annis sit, ne forte ideo eum adroget ne rationes reddat. Si vero eadem ratio non adesset, non est cur prohibeatur. Et ita quoque Imperatorem TITVM ANTONINVM rescrisisset priuignum suum tutori adoptare permittendum tradit PAPINIANVS L. 32. ff. de adopt. Quumque hodie r) tutor quotannis magistratui tutelari rationes reddere debeat, haec ratio quoque apud nos cessat, atque adeo permittenda, nisi alia subsit quae arrogationem impedit, qualis est — ne esset in potestate tutorum et finire tutelam et substitutionem a patre factam extinguere. Patrem enim habenti tutorem non dari, substitutionemque pupillarem arrogatione finiri, lippis et tonsoribus notum est. Et quoad prius, etiam secundum nostram constitutionem tutelarem intuitu eorum bonorum, quae iure vsusfructus non habet, pater legitimus tutor fit. s) Non tamen in totum propter hasce causas arrogatio illicita est; sed 3) videndum an pupillo etiam in hoc casu expediat.

B 2

Ete-

q) Varior. c. 42. edit. IVGLERI p. 232. OTTO de Iurispr. symb. Exerc. III. cap. I.

r) Vid. Beyträge zu der juristischen Litteratur in den Preussischen Staaten (Berl. 1775.) S. 94.

s) Vormundschafts-Ordnung d. d. 23ten Sept. 1718. §. 5. vid. MYLII Corp. Const. Marchic. P. II. Sect. II. n. 32.

Etenim *primum quidem*, inquit **VLP IANVS**, *excution- dum erit, quae facultates pupillo sint & quae eius, qui ad- optare eum velit, ut aestimetur ex comparatione eorum, an sa- lubris adoptio possit pupillo intelligi.* Quare si suspicio adesset, adrogatorem bonis solummodo impuberis in- hiare, nunquam, permittenda foret arrogatio. Et licet adrogator, propter restitutionem faciendam, ipsorum bonorum pupilli, durante impubertate, proprietatem sub conditione resolutiva solum adquirat, & omnia adro- gati bona quoque iure nouiori ad peculium aduentitium pertineant, tamen haec comparatio ideo inutilis non est, quoniam non solum exinde iis damnum inferitur, quod ususfructus rerum suarum ad patrem adoptiuum spectet, sed etiam quod bona ipsa dissipare pupillumque iis- dem aliquo modo fraudare possit. Inde igitur & apud nos haec comparatio bonorum a magistratu tute- lari eo magis fieri debet, quo magis eius hodie officium & auctoritas circa pupillorum salutem versatur. Ne tamen putes semper ditiori tantum licere adrogare pauperiorem, **VLP IANVS** addit. *L. 17. §. 4. interdum & ditio- rem permittetur adoptare pauperiori, si vitae eius sobrietas clara sit, vel adfectio honesta nec incognita.* Exigit **ICTUS** adfectionem honestam, & sine dubio inter alia etiam ad illam inhonestam adfectionem respexit, de qua in Iure Graecoromano habetur: *1) ne forte per satanicum amorem aut malitiam aliquam commentum arrogationis fiat, & quam THEOPHILVS vocat turpem amorem.* Quare etiam hodie licet facultates adoptandi maiores sint adop- tantis facultatibus, tamen exinde magistratus iustam dif- fidentiendi causam desumere non potest, quoniam etiam inde augmentum capere poterit arrogatus. Et ita, ut repetamus, non solum hodie quoque consensus omnium tutorum atque iuxta *L. 2. C. de adopt. cognatorum* quoque requiritur, sed etiam praefata ratione causae cogni-

\*) *H. GROTII Florum sparsio ad Jus Justin. p. 26.*

cognitio instituenda, & tum denique principis rescripto confirmanda. u)

§. V.

DE SATISDATIONE ET RESTITVTIONE IN  
ADROGATIONE NECESSARIA.

Vt denique omni ex parte impubes de damno vitando securus reddatur, satisfactio de restituendis bonis acceptis ab adrogatore exigitur. Sed quaeritur quibusnam in casibus? Num solum, quod videri posset, in iis solum, in quibus recensita requisita non deprehendantur v. c. si vitae sobrietas non ita, vt fas est, clara sit, si adfectio minus honesta, si animus circumueniendi non ita remotus sit? Neutiquam, sed potius necessaria est in omni adrogatione, quae secundum causae cognitionem antecedentem permittenda foret. Innuit hoc MARCELLVS L. 18. ff. de adopt. — non aliter enim voluntati eius qui adrogare pupillum volet, si causam eius OB ALIA probabit, subscribendum erit, quam si cauerit seruo publico, se restitutum ea, quae ex bonis eius consecutus fuerit, illis, ad quos res peruentura esset, si adrogatus permansisset in suo statu. Haec igitur cautio 1) fieri debebat per satisfactionem i. e. datis fidei iussoribus, hoc enim est satisfactio, indeque etiam, vt in tutore, cautionem pignoratitiam iure antiquo admissam non fuisse, probabile inde redditur, quod illa hac praestantior habebatur. Quod autem hodie, si prior locum habere non potest, cautio hypothecaria admittenda sit, dubitatione vacat. 2) facienda erat seruo publico siue vt Imperator loquitur. §. 3. *Inst. de adopt. personae publicae hoc est tabulario.* Tabularii erant serui publici siue ciuitatis, qui singulorum

B 3

nomine

u) PERILL. SAM. de COCCEII *Jur. Controu. Lib. I. Tit. VII. Qu. 2.*  
Sed in nostra saltem republica neque Imperatoris rescriptum neque multo minus confirmatio Comitum Palatini admitteretur.

nomine poterant stipulari & imprimis satisfacionem vniuerso populo praestandam accipere, quique *publici* dicebantur non quod instrumenta publica conficerent, sed quoniam serui essent totius reipublicae, vt recte monet BROEVVS v) Ita enim si pupillus absens erat aut dari non poterat, neque illi seruus erat, aut emi non poterat, seruus publicus apud Praectorem stipulari debebat, vt inde pupillus vtilem ex stipulatu actionem haberet. *L. 2. §. 4. ff. rem pup. salu. fore.* Postea vero quum hi in hoc munere dolose versati essent ab HONORIO & ARCADIO constitutum est *L. 3. C. de tabul. vt siue solidis prouinciis siue singulis ciuitatibus necessarii fuerint tabularii, liberi homines ordinentur; & ex eo tempore vel auctoritate Principis, vel Praefecti Praetorio electi sunt, personae publicae nunc grauitatem sustinentes, qui acta publica scriberent CASSIOD. Var. lib. 12. 3)* cauebat arrogans sese restitutum ea quae acceperit, & iure nouiori etiam, quae intuitu pupilli postea adquisierat de qua re sequenti §. piura dicemus. 4) Restitutio autem haec fieri debet generatim si solutio patriae potestatis durante impubertate & quousque adrogatio adhuc imperfecta est, contingit, & inde per singulas eundo a) si impubes intra impubertatem decesserit. Ait enim MARCELLVS *L. 20. ff. de adopt. cum L. 18. eod. coniungenda: haec autem satisfactio locum habet a) si impubes decesserit — idemque innuit Imperator §. 3. I. t. c. si intra impubertatem pupillus decesserit. Adeoque si post pubertatem decesserit nihil restituit arrogans; b) si adrogator decesserit impubere relicto L. 22. ff. d. t. — si adrogator decesserit — c) si adoptans filium iniuste emancipauerit. De eo quidem in Pandectis nihil exstat. Imperator autem idem commemorat §. 3. I. h. t. — sed nisi pater —*  
*uiuus*

v) FR. BROEVVS ad §. 3. I. de adopt. MVRETVS ad. d. §. 3. & omnium optime horum munus exposuit FR. de AMAYA ad tit. C. de tabul.

vius sine iustā causa eum emancipauerit, iubetur quā iam  
 partem bonorum suorum relinquere, videlicet praeter bona  
 quae ad patrem adoptatum transtulit & quorum commodum  
 ei postea adquisiuit. Et in verbis proxime antecedenti-  
 bus. Item non alias eum emancipare potest adrogator, nisi  
 causa cognita dignus emancipatione fuerit, & tunc sua bona  
 ei reddat. Emancipatio non pendeat a filio ita, ut pater  
 adigi potuisset ad eum emancipandum. MARCIANVS in  
 L. 31. t. c. non potest, inquit, filius qui est in potestate patris  
 ullo modo compellere eum, ne sit in potestate siue naturalis siue  
 adoptiuus, (nisi postea in poenam patria potestas solue-  
 retur v. c. in casu L. 12. C. de episc. aut. aut minor deceptus  
 sese dicebat L. 3. §. 6. de minor. aut testatoris voluntas  
 exigeret L. 92. ff. de cond. & dem.) b) Quare etiam multo  
 minus filius impubes adrogatorem compellere poterat  
 ad emancipationem, pubes autem factus arrogationem  
 non ratihaburus hac ratione liberare sese poterat a pa-  
 triae potestatis vinculo. Similiter quoque Iure Pan-  
 dectarum consensu emancipandi opus non erat ceu su-  
 picari licet ex L. 1. 2. 3. 4. C. de emanc. usque dum  
 ANASTASIUS L. 5. C. eod. consensum quoque emanci-  
 pandorum exegerit, infantibus exceptis, qui & sine  
 consensu hoc modo sui iuris efficiebantur. Quam ob  
 rem quum adrogans pro lubitu adrogatum iterum eman-  
 cipare posset, recte deinde causae cognitio praecedere  
 debebat. Iusta autem causa esse poterat, si pupillo ma-  
 gis expediret, sique adrogatori liberi nascerentur, aut  
 quos mortuos putaret iure postliminii reuertirentur  
 L. 12. §. 1. de capt. aut etiam patris vitae fuerit infidiatus,  
 ut ait THEOPHILVS. Attamen in omni emancipatio-  
 nis

a) Non est quod moneamus τὸ satisfactionem locum habere non id  
 significare ac exigeretur demum post mortem pupilli intra  
 impubertatem defuncti, sed tantum ut in iis recensitis casibus  
 effectus suos satisfactio exferat, i. e. bona restitui debeant vi cau-  
 tionis interpositae.



nis casu, adeoque etiam, quod mirum videri potest, si iusta causa facta fuerit, haec restitutio bonorum obtinet, ut omnino ratione aditus ad pueri patrimonium depraedandum intercludatur. *d) si adrogator filium exheredauerit. d. §. 3 l. — sed etsi pater eum exheredauerit.* — Eo enim tempore exhereditatio tantum ad eas causas restricta erat, quae iudici iustae videbantur, indeque etiam exhereditatio impuberum non plane insolita erat. Hodie vero eandem plane cessare postquam FLAVIUS Imp. eiusmodi causas praescripserit, quae dolum praeposunt, cordatiorum est sententia. In omni igitur casu quoque, quo pater ante pubertatem filii decedit, restitutio facienda est, siue eum exheredauerit, siue in aliqua parte aut in tota hereditate heredem instituerit, & illud *si eum exheredauerit* non tam ad restitutionem bonorum pupilli, sed potius ad quantum exheredato relinquendam, trahendum est. *e) denique si pubes factus adrogationem non ratihabuerit. L. 33. eod. ubi MARCIANVS: Etsi pubes factus non expedire sibi in potestatem eius redigi probauerit, aequum esse emancipari eum a patre adoptiuo, atque ita pristinum ius recuperare.*

### §. VI.

#### DE EFFECTIBVS ADROGATIONIS IMPUBERVM.

Iam ostendendum erit, quinam huius arrogationis fuerint effectus. Hi vel considerantur 1) intuitu adrogatoris, vel 2) intuitu filii, 3) vel intuitu eorum qui ex causa filii adquirent. Priori in casu, missis reliquis, operabatur successione vniuersalem. Namque quum adrogatus fieret filius familias neque adeo proprium quid habere posset, ea quoque omnia, quae tam

*b) Quumque igitur quidam casus excepti essent bene dixit Imp. §. ult. l. quib. mod. ius patr. — vltimo pene modo — quod in libris Basilicon & a THEOPHILO perperam omisium est. v. HENR. ERNSTII Adnot. ad lib. I. Digest. ad L. 31. (Meerm. VI. p. 349.)*

tempore adrogationis, quam postea etiam ad pupillum percussissent, adquirebat adrogans exceptis iis, quae capitis deminutione, qualis in adrogatione contingebat, peribant, puta operarum obligationes, & ius adgnationis, denique & usus ac usufructus §. 1. *I. de adquis. per adrog.* Erant autem operarum obligationes a) operae officiales a liberto praestandae neque in pecuniae praestatione neque in operis artificialibus, pecuniariis praestationibus similibus consistentes, dicebanturque officiales, quasi officio naturali debitae i. e. in compensationem & remunerationem quaesiti beneficii libertatis. Et hae operae officiales capitis deminutione peribant, artificiales autem suae fabriles, non nisi ex stipulatione aut iureiurando debebantur, quaeque una cum reliquis Juris patronatus capitibus, maxime Praetorum beneficio ac tuitione servabantur. Quod ad usum & usufructum adinet, qui secundum *cit. §. 1. I. eod.* & PAVLL *Recept. sent. Lib. III tit. 6. §. 29.* capitis deminutione minima quoque finiebantur, rationem huius dispositionis inepte in eo ponunt quod reductus quasi sic in imaginariam servitutem, quum tamen haec nunquam adfecta sit adrogationi, sed rectius cum SCHVLTINGIO a) in eo quaerenda est, quod post mutationem illam non idem quasi homo fuerit, aut etiam in eo, quod filius, cui competeat, nunc esset iuris alieni homo, patri autem relictus non esset. IVSTINIANVS autem non solum omnia quae pupillus tempore adrogationis

a) Vid. CUIAC. *Tom. I. Opp. edit. FABROTT. pag. 186.* Ad hasce operas officiales iure meritoque cum FABROTTO, custodiam sepulchri a liberto praestandam refert ALARD. *RVD. de WAAY diff. ad L. 26. π de operis libert.* (OELRICH *Thef. Diff. Belgic. Vol. I. Tom. I. p. 249.*) & exemplum ex *Petr. cap. 71. profert: caeterum erit mihi curae, ut testamento caueam, ne mortuus iniuriam accipiam. Praeponam enim vnum ex libertis sepulchro meo custodiae causa, ne in monumentum meum populus cacatum eat.*

1) In *Iurisprud. Anceust.* edit. Amstel. p. 362. not. 68.

gationis habuit, & postea adquisiuit, b) ad peculium aduentitium referri iussit, sed etiam vsum & vsumfructum non amplius capitis deminutione finiri constituit *L. pen. C. de usufr.* Et quamuis Imperator ibi tantum locutus fuerit de adoptione in specie tali, vbi scil. filius familias vsumfructum ex peculii castrensis causa habebat, idem tamen & in adrogatione obtinere debet propterea quod non solum eadem & maior ratio c) adfit, sed quod in d. §. 1. *I.* hancce suam constitutionem ad arrogationem extendat, *in superque restitutioni obnoxia sint bona adrogati.* Igitur & hodie pater omnem quoque vsumfructum nomine filii acquirit neque quidquam interest an antea ad peculium fortasse castrense pertinuerit nec ne. *Deinde* etiam, adrogator pupillarem substitutionem intuitu quartae adrogato relinquendae perficere potest. *L. 22. eod. sed an impuberi adrogator substituere possit, quaeritur? Et puto non admitti substitutionem: nisi forte ad quartam solum, quam ex bonis eius consequitur: & hactenus, vt ei vsque ad pubertatem substituatur.* Secundo in casu ratione pupilli adrogatio imperfecta est vsque dum pubertatem adeptus sit, indeque si ea adepta emancipari desideret, audiendus, idque causa cognita per iudicem statuendum erit, auctore PAPINIANO in *L. 32.* & MARCIANO in *L. 33. eod.* deinde vt in casu solutionis illi omnia sua bona, tam quae habuit tempore adrogationis, quam quae postea adquisiuit, ab adrogatore aut eius heredibus restitui debeant, & denique vt in quibusdam casibus praeter bona sua, quartam *D. PII* exigere possit, missis reliquis, quae cuique iam adrogato competunt. *Tertio* denique in casu, vt adrogati heredes ab intestato, atque pupillariter substitutus restitutionem bonorum ipsius adrogati

b) Ita enim Imperator §. 3. *I. de adopt.* — & quorum commodum ei postea adquisiuit.

c) Qualem rationem habuerit Imperator in ferenda *L. pen. cit.* inquirunt ERN. CHRIST. WESTPHAL *Interpretari. I. C. de libert. & seru. uit. praed.* (Lips. 1773.) §. 932.

gati, immo quandoque quartam Antonianam exigere possint, de qua quarta nunc penitius agendum.

§. VII.

QVIBVS IN CASIBVS QVARTA D. PII PRAE-  
STANDA EST.

Verum enim vero non solum eo, quod sua bona iterum accipiat impubes de damno vitando securus redditur, sed etiam illi lautius prospectum eo, quod ex eisdem D. Antonini indulgentia adrogator ei quartam bonorum suorum relinquere debeat. Rationem huius sanctionis elegantissimus Hispanus *a)* ponit in eo, quod *P*IVS difficiles reddere voluerit eiusmodi adrogationes, ego tamen mallem contendere, nostram quartam non tam ad arcendos leuiter adrogantes, quoniam ob hanc rem causae cognitio & restitutio bonorum pupillo eiusque ex causa adquirentibus facienda iam ordinata erat, sed potius in fauorem adrogati introductam esse, ut ex omni parte adrogatio illi expediat, atque ut fructus fortasse a patre percepti cum eadem compensari possint. Quaerimus iam quando haec quarta praestanda sit. Video quam plurimos eandem in iisdem casibus praestandam esse adferentes, in quibus restitutio bonorum obtinet. Quae autem sententia plane reiicienda est. Namque praestanda solum est 1) si impubes intra impubertatem decesserit, atque 2) si adrogans moritur impubere relicto. Clare hoc loquitur *VLP*IANVS *L. 22. eod. si adrogator decesserit impubere relicto filio & mox impubes decedat, an heredes adrogatoris teneantur? Et dicendum est heredes quoque restitutos & bona adrogati & praeterea quartam partem.* Aperte igitur *I*Ctus adrogato tribuit hanc nostram quartam si adrogator ante impubertatem decesserit, & quamuis Imperator in §. 3. *l. eandem impuberi solum*

C 2

*a)* *MAYANS. Disp. Iur. Ciu. XII. §. 21.*

adignat, si decedens eum exheredauerit, sine dubio tamen de eo casu intelligendus est, quo pater decedens impuberi aut totam suam hereditatem aut hanc quartam non reliquerit adeoque & nulla antinomia adest. Neque iusta exhereditatio, olim etiam, impuberi in quartae huius petitione obstabat. Adfirmat hoc **VLPPIANVS** *L. 8. §. 15. ff. de inoff. test. Si quis impubes adrogatus sit ex his personis, quae & citra adoptionem & emancipationem queri de inofficiosa possunt, hunc puto remouendum a querela, cum habeat quartam ex Constitutione D. Pii. Quod si egit, nec obtinuit an quartam perdat? Et puto, aut non admittendum ad inofficiosum, aut si admittatur, etsi non obtinuerit, quartam ei, quasi aes alienum concedendam.* Quamuis haec verba absque commentario statim intelliguntur omnemque dubitationem perimant, sunt tamen qui iuste exhereditato eam quartam denegent *a*). Attamen Imperator *c. §. 3.* iniquam exheredationem non exegit, (alias dixisset si sine iusta causa exheredauerit vel viuus emancipauerit) sed indistinctim omnem exheredationem i. e. exclusionem subintellexit, ita ut mens potius **IUSTINIANI** sit, exhereditato etiam praestandam esse quartam. Arridet ratio quam subiungit **MAIANVS**, quoniam si iustam habuit exheredandi causam, habuit etiam iustam emancipandi causam. Quare etiam 3) si eum exheredauerit aut 4) sine iusta causa emancipauerit pater, praestanda erit. Quod ad prius, praeter ea quae modo diximus hodie sine omni dubio in omni exheredationis causa eo magis praestanda est, quo magis post *Nov. 115. c. 3.* iusta causa, semper dolum inuoluens, in impuberem cadere non potest, adeoque etiam malitia aetatem supplere nequit. Quod ad posterius autem iusta causa emancipato non debetur haec quarta. *L. fin. ff. si quid in*

\* I. H. BOEHMER. *Intr. in I. D. tit. de adop. §. 6.* STRVV. *Synz. Exerc. III. §. 60.* & inter eos quoque nomen suum professus est **SCHVLTING** *Enarrat. prim. part. Dig. d. 1. §. 10.*

*in fraud. patr. ubi PAVLLVS — si causa cognita emancipatus fuerit quartam perdit.* Ad iustam emancipationis causam refert THEOPHILVS si pupillus vitae adrogatoris insidias struxerit. Possunt addi & aliae. Num vero eidem in hoc casu legitima debeatur si post emancipationem moriatur adrogator, quaeritur? Et omnino videtur. Quamuis enim imperfecta est adrogatio & vsque ad pubertatem pupilli suspendatur, tamen ratione solum pupilli id obtinet, ratione vero adrogantis est perfecta, & hodie omnibus etiam emancipatis iura non emancipatorum sunt tributa. Non solum autem emancipatio licet si iusta causa deprehendatur in adrogato sed etiam si v. c. magistratus tutelaris emancipationem, iterum pupillo expedire cognoscit, & tamen hoc in casu praestanda erit quarta nostra, quoniam & ratione adrogatoris perfecta est adrogatio, & in eo quod occasionem dederit emancipationi, non potest deprehendi ratio, quae eum liberaret, quin potius tunc ratione adrogatoris absqua iusta causa emancipatus sit. 5) Attamen si post pubertatem viuo adrogatore adeptam, ad emancipationem proclamat, non praestanda est quarta D. P. 11, quoniam & silent de eo casu leges, & ratio solutionis solum deprehenditur in ipso adrogato; quod vero iterum in hoc casu illi debeatur portio legitima ex eadem ratione sustineri debet.

### §. VIII.

#### INDOLES HVIVS QVARTAE.

Ante omnia dispiciendum erit, num haec quarta fuerit legitima. Acriter hoc disceptatur a doctissimis pariter atque indoctissimis, adeo vt idem fere adfirmantium a)

C 3

&

a) BACHOV. ad TREVTLER Vol. I. *disp. 2. 1b. g. lit. e.* I. H. BOEHMERVS I. D. *tit. de adop. §. 6.* LVDOVICI *Doctr. Pand. t. c. §. 6.* VINNIUS ad §. 3. I. d. r. HVBERVS ad c. §. 2. I. n. 6. REINOLD *Var. cap. 12.*

& negantium *b*) adfit numerus. Omni dubio autem caret negantium sententiam praeferendam esse. Namque 1) haec quarta ex omnibus bonis adrogatoris computatur. Nuda enim undique vocatur *suorum bonorum* & praeterea *L. fin. ff. si quid in fraud. patr.* dicitur: *constitutione D. Pii cautur de impubere adoptando, ut ex bonis, quae mortis tempore illius qui adoptavit fuerunt, pars quarta ad eum pertineat, qui adoptatus est, & corroboratur eo, quod ibidem dicatur, alienata in fraudem huius quartae reuocanda esse.* 2) Nostra quarta sub aere alieno ipsius adrogatoris continetur *L. 8. § 15. ff. de inoff. test.* (§. praec.) Quarta autem legitima demum computatur deducto aere alieno. *L. 8. ff. §. 9. ff. de inoff. test.* 3) Quarta legitima tantum debetur illi, quibus aditus patet ad inofficiosi querelam, quum illa ad excludendam hanc querelam introducta sit *L. 8. §. 8. ff. de inoff. test.* quarta autem nostra debetur etiam illi, qui in querela succubuit. *L. 8. §. 15. ff. eod. cuius verba §. praeced. retulimus, & exigitur condictione ex lege vel constitutione D. PII.* 4) querela inofficiosi vero testamenti non transfertur ad heredes indeque etiam legitima heredibus qua talibus non debetur; *a*) quarta autem nostra morte adrogati non finitur, sed ad eius potius heredes transit *L. 1. §. 21. ff. de collat. si impubere adrogato, inquit ULPIANVS secundum D. Pii rescriptum quarta debetur, videndum est, an, si patris naturalis bonorum possessionem petat, conferre quartam debeat: quaestio in eo est, an heredi suo relinquat quartae actionem, an non. Et magis est, ut ad heredem transferat, quia personalis actio est.* 5) Alienata in fraudem Antonianae reuocantur per quasi caluisianam vel quasi fauianam actionem.

*L. fin.*

*b*) SCHVETING *Enarrat.* p. 98. edit. Lugd. IAN. a COSTA ad §. 3. I. c. VOET. ad ff. d. t. n. 4. BROEVS ad d. §. 3. I. BOECKELM. ad ff. p. 56. RIVIN. *Syst. Jurispr. polem.* Lib. I. §. 39. MAIANSVS *disp.* XII. §. 22.

*a*) Vide late de hac re disputantem FINESTR. DE MONSALVO *de inoff. test. cap. 17.*

*L. fin. ff. si quid in fraud. patr.* — si quid itaque in fraudem eius (quartae nostrae) alienatum fuerit, quasi per Caluistianam vel Fauianam b) actionem reuocandum est — alienata autem in fraudem legitimae nequaquam. Namque haec non solum computatur ex illis tantum bonis, quae defunctus tempore mortis reliquit, sed etiam libertates ipsam legitimam minuere diserte ait *VLPIANVS L. 8. §. 9. ff. de inoff. testam.* Et hodie legitima quoque viuentis non datur nisi in casu inofficiosae donationis, inuertendae querelae inofficiosi testamenti gratia factae c). quae tamen tamquam exceptio ultra casum exceptum extendere nefas est: 6) impubes adrogatus intuitu huius quartae neque heres sit neque bonorum possessor *L. 2. §. 1. ff. fam. etc.* — si quarta ad aliquem ex constitutione *D. Pii adrogatum deferatur*, quia hic neque heres neque bonorum possessor sit, vtile erit familiae eriscundae iudicium necessarium. *VLPIANVS* igitur adrogato tribuit actionem familiae eriscundae vtilem quoniam directum heredibus tantum & bonorum possessoribus dabatur. d) Legitimam autem liberos accipere & tamquam heredes & tamquam bonorum possessores palam omnino est §. 3. *I. de bon. poss. & arg. L. 10. §. ult. C. de adopt.* 7) Ut diximus, legitima viuentis non datur, adeoque liberi sui ex viuentis patris patrimonio legitimam nunquam consequuntur: quarta autem nostra viuente etiam adrogatore quandoque debetur si

b) Actio Caluistiana & Fauiana aut Fabiana dabatur patrono ad reuocanda ea, quae libertus in fraudem eius alienauit & quidem prior si intestatus, posterior aut si testatus decesserat libertus *BRISSON. de V. S. sub voc. Caluistiana & Fabiana*, nomenque suum accepisse a Caluistio & Fabio Praetoribus conicit *WESTENBERGIUS Princ. Jur. sec. ord. Dig. tit. si quid in fraud. patr. §. 6.* Ad exemplum huius rei arrogato dabatur quasi caluistiana & quasi fabiana actio.

c) Vid. *CHRIST. RAV* diss. *de querela in off. donat.* Lips. 1775.

d) *ED. CALDERA Variar. lect. Lib. III. cap. 3. n. 3. COCCII Jus Controu. Lib. X. tit. II. qu. 4.*

si scilicet eum emancipauerit §. 3. *I. de adopt.* adeoque non vt legitimam ex iudicio testatoris ad impuberem peruenit, sed principali ex prouidentia *L. 22 §. 1. ff. eod.*  
 8) Ratio quoque, quare quarta haec praestatur differt ab ea, quare legitima relinquenda est. Prior enim ideo debetur, vt existente solutionis casu utilis ei sit adrogatio facta. 9) Denique quid opus fuisset singulari constitutione *D. Pii*, si idem illud solum sancitum esset, quod iam ex generali iuris regula obtinuisset.

### §. IX.

#### DISSENTIENTIVM ARGVMENTA REFEL- LVNTVR.

Quae quum ita in legibus aperte constituta & ab elegantissimis intrepribus passim egregie exposita sint, mirandum certe, ab *ACCYRSII* temporibus vsque ad nostram existisse aetatem, qui quartam Antonianam pro ipsa legitima venditarent. Videamus autem, quibus rationibus eorum subfulta est opinio. Prouocat *I. H. BOEHMERS* ad *L. 2. C. de adopt. & L. fin. D. si quid in fraud. patr.* sed nullum eidem imminere inde praesidium, ex inspectione statim adparet. *L. enim 2. cit. DIOCLET. & MANIN* Imp. Timotheo cuidam impuberem adroganti rescribunt, quartam bonorum suorum tam in postremo iudicio, quam si emancipatus fuerit, adrogato praestandam esse. Quisque statim videt ex eo, quod emancipato quarta nostra adsignetur, nec ab Imperatoribus spectatam esse tanquam legitimam, & quid quaeso opus fuisset singulari rescripto quum iam ex generali iuris regula omnibus liberis legitimis adeoque & adrogatis legitima debebatur portio. Similiter quoque *PAVLVS* eo ipso, quod quartam perdere adrogatum dicat *L. fin. cit.*, si causa cognita emancipatus fuerit, eidem quartam tribuit adrogato absque iusta causa emancipato.  
 Alte-

Alterum autem eorum argumentum magis speciosum est, cui imprimis Clar. REINOLDVS inhaeret, scil. ea ratione conditionem liberorum adoptiuorum meliorem fuisse, quam liberorum legitimorum naturalium, quum tamen nulla certa atque solida huius rei ratio dari possit. Illud quidem Viro eruditissimo lubenter largimur, vacillare quodammodo, quam quidam negantium pro defendenda sua sententia adducunt rationem, nimirum non metui posse, ne quid naturalium liberorum commodis decedat, quum euenire non possit, ne quis simul naturales & adoptiuos habeat liberos, quoniam hos habenti non permittenda sit arrogatio alius: nam & nos supra (§. 3.) defendimus & illis concedendam quandoque arrogationem qui sine liberis non essent. Attamen 1) non indistinctim sed praeuia demum causae cognitione secundum L. 17. §. 3. ff. de adopt. arrogandi facultas eiusmodi personis conceditur, ne aut illorum, quos iustis nuptiis procreauit, deminuat spes, quam vnusquisque liberorum obsequio parat sibi vt ibi ait ICtus, indeque raro hic casus aderit. Et 2) si factum sit, fieri omnino potest, vt ceteri liberi deducta etiam quarta D. PII in legitima portione non laedantur, adeo vt 3) denique non habeant liberi legitimi, de quo queri possint. Quod autem ad id attinet, quod inconueniens plane esset, si arrogati conditio melior esset liberorum naturalium, ego, ingenue fateor non video. Liberi enim 1) naturales iam a natura ipsa in patrum potestate constituti sunt, indeque si quid ex patris hereditate accipiunt, solius patris beneficio id tribuendum est, at filius adrogatus in adrogatoris potestate ante adrogationem non erat, erat potius homo sui iuris, habebat sua propria bona, quorum per adoptionem iacturam facere poterat, locupletior igitur semper adrogans fiebat, quum durante adrogatione bonis ipsius adrogati fruebatur, licet existente ante pubertatem adeptam solutionis casu, bona ipsa accepta restituere debebat, quae vero adrogato post pubertatem mortuo solus acquirebat, quoniam tunc

D

suc-



successorum ab intestato & pupillaris substituti ius amplius cogitari nequit. Quum itaque adrogatio semper adroganti utilis erat, cur non etiam utilis & vtilior, quam ipsorum naturalium conditio erat, esse potuisset adscitorum. 2) In liberis naturalibus non adeo metuenda erat emancipationis facilitas, quam in adscitiis, qui tunc neque iure civili neque Praetoris beneficio ad bona adrogatoris admittebantur §. 11. *I. de hered. quae ab intest. defer.* 3) Denique, nonne eadem ratione iniustum videri possit, quod heredis extranei, liberis solum legitima relicta, reliquum hereditatis accipientis, conditio melior sit, quam ipsorum liberorum necessitudinis vinculo arctissimo cum defuncto coniunctorum. 4) tandem & ex *Sabiniano SCto* ex tribus masculis in adoptionem dato adoptivus pater quartam relinquere debebat, siue solus siue cum aliis succederet a) §. 14. *I. de hered. quae ab int. def.* Iusto igitur iustior, & aequo aequiorem etiam hoc loco sanctionem Iuris Romani deprehendimus, quod solum contra eos notauimus, qui ex cerebrina aequitate legum dispositiones licet claras & indubitatas proprio ausu reformare non erubescunt. b) Quod enim quarta nostra non sit legitima, §. praec. probatum iam dedimus, quod etiam haec dispositio sit aequissima, nunc ostendere studuimus.

## §. X.

DE AVGMENTO HVIVS QVARTAE. QVALIS  
 FVERIT POST IVSTINIANVM.

Iam quaeritur, num haec quarta aucta sit, aucta  
 scilicet a IVSTINIANO legitima portione? Breues erimus

a) BROEVVS & MVRETVS ad d. §. 14. I. VOET. ad ff. tit. de adop. n. 4.

b) Nunquam satis repetendum SCHVLTINGII effectum (in *diff. de transact. super. controuers. quae ex ult. vol. proficisc.* &c. §. 2.) huc transcribere iuvat: *innumera sunt quae summa cum utilitate possent*

mus in tantula lite, & ex supradictis facilis erit responsio. Quam enim satis superque ab ipsa portione legitima distincta fuerit, neque vnquam cum eadem commiscenda, aucta esse quoque non potest. Sed iustas, maiorem portionem ipsi adrogato tribuere voluit D. PIVS quam liberis naturalibus, adeoque etiam hodie saltim eandem habere debet, quam liberi naturales. Est quidem ita. Aperte, vt nobis videtur, maiori beneficio arrogatos instruere voluit D. PIVS, quam quo liberi naturales gauderent, attamen propterea insulta esset ad augendam hanc quartam argumentatio, partim quod de huius portionis nunc augendae & legitima maioris quantitate non certo constaret, sed lubrico iudicis arbitrio reliquenda esset, partim quod eo ipso IVSTINIANVS, dum aucta legitima quartam nostram non auxerit, ius pristinum tantum seruari & vt aliis videri posset, ius naturalium liberorum restaurari voluerit. Insuper quoque Ius Graecoromanum hanc quartam seruat. Ait PSELLVS c) *Synopsi Legum. v. 259.*

τέταρτον μέρος κρωσῆι τῶ υἰοθετηθέντι,  
υἰοθετήσας τις τινὰ τῶν ἐαυτοῦ πραγμάτων.

Vertit haec SIEBEN: *Quartam suorum bonorum adoptato debet is qui adoptauit. Similiter quoque HARMENOPOLVS Promt Iur. Lib. V. tit. 8. §. 87.*

Vt taceam THEOPHILVM in vertenda §. 3. I. de adopt. perinde quartae mentionem fecisse, quod leue esset argumentum. Et quamuis PSELLVS deinde v. 476 de impubere adoptato dicat:

D 2

εξε-

possent constitui, nec rament ideo etiam introducta sum; ac si liceat ita argumentari, hoc vel illud aliqua ratione nititur, ergo ita iuris est, quibus etiam priuatus nona iura introducere & pro libitu verera possit labefactare, quo ipso nihil foret absurdius.

c) vid. MEERMANNI *Thef. Tom. I. pag. 43.*

ἐξερεδάτος γεγονῶς τρίτον λαμβάνει μέρος  
Exheredatus tertiam partem capit.

& quamvis in Basilicis *L. 8. §. 15. ff. de inoff. test.* a) ita habeatur: *si quis impuberem, qui contra testamentum eius querelam habere potest, adrogauerit, cessat querela, quia ex bonis eius impubis habet trientem ex constitutione. Quod si egit & non obtinuit trientem ut aes alienum capit, tamen* BOSQVETVS & SIEBEN b) optime aduertunt, post mutatam a IVSTINIANO legitimae quantitatem saepe falcidiam, legitimam & nostram quartam inter se a graecis esse confusas. Namque & scholiastes sub voce *προθεωρησις* c) aperte iterum impuberi tribuit quartam verbis: *didicisti i Institutionum, eum qui impuberem sui iuris adrogauit & emancipauit sine iusta causa ex constitutione D. Pii primum cogi restituere ea, quae per eum adquisiuit, deinde & quartam partem bonorum suorum — ceterum — posse agere de inofficioso. Sed quia quartam habet ex constitutione D. Pii Vlpianus ait, conueniens esse vel ab initio non admitti eum ad querelam inofficiosi vel si admissus non obtinuerit, non auferri (male ibi offerri) ei quartam ut indigno, sed concedi quasi aes alienum quod ei testator debuit ex constitutione. Et si etiam in Basilicis semper quarta haec tamquam legitima pro triente adsumta fuerit, tamen nihil aliud exinde sequeretur, quam quod Graecis ita visum fuerit, quorum tamen auctoritas, licet maxima, ad interpretandas leges esse debeat, ad eas subuertendas valere non debet d).*

## §. XI.

- a) *Tom. V. Lib. XXXIX tit. i. pag. 199.*  
 b) BOSQVETVS in *schol. ad vers. 4. §1.* (MEERM. I. pag. 68.) SIEBEN in not. ad v. 259. (Meerm. I. pag. 79.)  
 c) *Tom. V. pag. 245.*  
 d) Vid. PVTTMANNI elegantiss. *diff. de querela inoff. test. fratrib. vter. haud conced.* cap. III. §. 1.

## §. XI.

ADROGATOR HODIE AVT QVARTAM D. PII  
AVT LEGITIMAM RELINQVERE DEBET IMPV-  
BERI PLVRIBVS ADROGATIS SINGVLIS  
DEBETVR NOSTRA QVARTA.

Ex *L. autem 8. §. 15. ff. de inoff. test.* & ex iis quae modo §. *praeced.* diximus luculenter patere arbitror, impuberi, prout illi melius sit, aut legitimam, quarta nostra nunc maiorem, aut nostram quartam, quae aliquando potest esse maior eo, quod titulo legitimae acciperet, relinquendam esse. Vtputa si solus existat, neque a defuncto aes alienum conflatum sit sine dubio praeferenda erit legitima, ac si cum aliis liberis legitimis concurrat, aut hereditas defuncti aere alieno deminueretur, melior ei erit nostra quarta. Vt vero ius hocce exigendi impuberi tribuamus ideo compellimur, quia 1) legitimam semper petere potest ut filius legitimus, ideoque etiam in locis supra citatis dicatur: *quod si egit & non obtinuit*, manifesto iudicio, quod etiam ille ad querelam inofficiosi admissus sit, tunc, quum quarta D. PII melius illi prospectum esset, quam ipsa legitima, adeo ut querela inofficiosi testamenti cum effectu instituta ad totam hereditatem adrogatoris & olim admissus & hodie admittendus sit, 2) quod D. PIVS maiori beneficio eum instrui voluit, quam tanquam filius legitimus habuisset, adeoque non solum non iura filii legitimi iam antea illi competentia ei adimere, sed potius quartam omnium bonorum assignando meliorem eius conditionem facere voluit, indeque contra hanc apertissimam iuris rationem iure nouiori minime sublatam, quin potius repetitam, statuunt hodie interpretes, quod filio adrogato tantum debeatur legitima; aut tantum quarta D. PII. 3) neque obstat, quod *VLPIANVS* cit. *L. 8. §. 15.* dicat, conueniens esse vel ab initio non admitti eum ad querelam, quia  
D 3 tunc


tunc temporis si quartam D. P II haberet, maiorem ex hereditate arrogatoris iam accipiebat partem, indeque ad querelam inofficiosi testamenti non admittendus esset. 4.) denique aliquid roboris nostrae accedit opinioni, quod eadem nostra quarta in Basilicis dicatur triens, manifesto indicio, quod quarta nostra non contentus esse debebat arrogatus Iure Postiustinianno si ea minor sit legitima portione.

Iam vltima exurgit quaestio, a paucis tacta, vtrum pluribus arrogatis singulis debeatur quarta nostra, aut quotquot sint, vna contenti esse debeant? Illud aut omnia praemittendum, si plures arrogati neglecta quarta D. P II, (quod secundum nostram mox defendendam sententiam vix ac ne vix quidem obuoniet, quoniam semper si plures concurrunt quarta nostra maior est ipsa legitima) legitimam petunt, vna tantum legitima eisdem debetur, quoniam in hoc casu solo liberorum legitimorum iure aestimari volunt. Recte monet C VI A C I V S vix permitti arrogationem plurium pupillorum, & non nisi causa explorata cognita. L. 15. §. 3. de adopt. In eo tamen neque C VI A C I O neque W E S T E N B E R G I O a) adfentire possumus, quod ille pluribus arrogatis vnam tantum quartam legitimae partis, i. e. quartam eius partis quam haberent ab intestato, quae coadunatae conficiunt omnibus simul quadrantem omnium bonorum, vt sonant eius verba; hic autem aequae quartam portionis ab intestato debita adsignent. Nobis vero contra videtur. Silentibus legibus, quum rationibus solum pugnandum sit, ille ad exemplum legitimorum hic ad arg. L. 8 § 8. ff. de inoff. test. prouocant. Attamen quoad prius, negamus & semper negabimus impuberes arrogatos iure tantum liberorum legitimorum aestimandos esse, & pariter in L. 8. cit. quarta antiqua inter plures descendentes solum diuiditur ad excludendam inofficiosi que-

a) C VI A C I V S in lib. XXIX. quaest. Papin. ad L. 40. de vulg. & pup. edit. fabrori. Tom. I. opp. posth. p. 776. W E S T E N B E R G I V S, Princip. I. sec. ord. Dig. tit. de adopt. §. 16.

querelam. Quum vero quartam nostram non petat arrogatus vt filius legitimus, sed tamquam aes alienum ex constitutione, vtriusque rationes non sufficiunt, neque thema probandum probant. Adfunt potius, nisi fallor, grauiore nostrae sententiae rationes, quod singulis scilicet debeat quarta, adeo vt primus arrogatus integram suam arrogationibus sequentibus non deminutam, exigere possit quartam. Namque 1) ius semel illi ex constitutione D. P I I quaesitum facto arrogatoris sequenti adimi amplius nequit, & 2) si deinceps arrogati illi ad crescant, esset sine dubio alienatio in fraudem Antonianae, quae reuocatur. *L. fin. ff. si quid in fraud. patro.* 3) illa iam debetur arrogatione facta vt aes alienum, quodque ideo superuenientibus aliis creditoribus non minuitur. An autem reliquorum quarta semper ex integro patrimonio, an vero deducta ea quarta, quae anteriori debetur, arrogato computanda sit? anceps videtur quaestio. Nos inclinamus ad prius, quoniam priori arrogato debita quarta non nisi aes alienum est, quarta autem nostra non computatur deducto aere alieno, sed ex integro patrimonio.





PRAENOBILISSIMO

ATQVE

ORNATISSIMO

DISSERTATIONIS DEFENSORI  
PRAESES.

**L**ubenter TECUM, VIR PRAENOBILISSIME atque ORNATISSIME, cathedram disputatoriam conscendo, meque lubenter testem atque socium huius negotii academici TIBI sisto, quod licet hodie ab ipsis quandoque Academicis, vt nomen saltim ferunt, parui habetur, tamen non solum sapienter antiquitus constitutum, sed etiam hucusque; vt experientia docet & litteraturae studium, non sine insigni litterarum fructu atque incremento seruatum est. Quapropter etiam insigni laetor laetitia, quod TV, VIR ORNATISSIME, socium me huius certaminis elegeris, quod nostris temporibus, nescio qua ratione, raro quodammodo institui solet, maximeque laetor, TE socium meum esse, cui

— — meliori luto finxit praecordia Titan, cuique paullo humanior & vltro plebeiam fucilemque cognitionem elata iuris scientia curae cordique semper fuit. Talem in hac nostra Alma Viadrina TE gessisti, talem TE etiam in posterum gessurum optime confido. Quod reliquum est, TIBI quaeuis fausta & felici euentu successura adprecor, sis felix sis faustus, nostrique non plane immemor. Scrib. d. XXVI. Iun.  
MDCCLXXVI.

PRAE-

PRÆNOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
 R E S P O N D E N T I

AMICO DILECTISSIMO

S. P. D.

OPPONENTS

C. A. VIVIGENTZ A WINTERFELD

EQ. VCAROM.


IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS.

Semper ii qui non nisi edito eruditionis specimine & salutata prius cathedra ab Academiis discedunt digni visi sunt, qui & laudibus & honoribus cumulentur. Inter hos Tu quoque Vir Praenobilissime non vltimum Tibi vindicas locum, cuius diligentiam & discendi ardorem publica admiratio non vna vice exceptit. Monstrat specimen ad quod defendendum Te iamnum accingis quantos in solidioris iurisprudentiae studio feceris progressus, & quanti momenti sit in excolenda legitimae artis scientia humanioribus Musis consueuisse. De quo cum Tibi ex corde gratuler sincerimas offero grates, quod me gloriae Tuae adesse volueris. Iucundam felicemque vitam, quae meritis Tuis deesse non poterit, candida mente exopto, simulque vt & me in posterum amicitiae fauore complectaris, qui acceptam omnem tulerō patefendi occasionem quanti me habeas Tibi deuinctum.

Vale Dab. d. 25. Iunii MDCCLXXVI.

E

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**R E S P O N D E N T I**  
 AMICO INTER PAUCOS SVAVISSIMO

S. P. D.

OPPONENS ORDINARIVS

I. G. F. SCHMIDT

MARCHIVS.

---

Quum omnes fere, qui te familiariter vsi sunt, imprae-  
 fentiarum cursu studiorum tuorum tam feliciter peracto  
 gratulabundi te accedunt, meum quoque existimo, tibi  
 tuisque & patriae de stadio academico summa cum laude  
 emenso ex intimo gratulari pectore. Discendi cupidi-  
 tas, ipsaque qua semper flagrasti diligentia te non solum  
 magno ornamento sed emolumento etiam patriae esse  
 futurum, praemiaque meritis tuis debita fructusque  
 percepturum, sperare licet. Abeas itaque bonis auibus,  
 & in posterum amicitia tua, cuius mihi, opponentis mu-  
 nere demandando, egregium sane edidisti indicium, me  
 amplecti mihiq; fauere pergas. Iterum valeas. Da-  
 bam Francofurti ad Viadr. d. XXIV. Iao.  
 MDCCLXXVI.

---


VIRO

.....

VIRO PRAENOBILISSIMO  
DISPUTATIONIS  
RESPONDENTI  
DOCTISSIMO  
AMICO SVO SVAVISSIMO  
S. D. P.  
FRIDERICVS LEOPOLDVS RAVE  
OPPONENS.

**I**ta nunc Praestantissime Wustrow luculentam solidae atque amplissimae eruditionis *Tuae* exhibes rationem; cum in publicum prodis ad defendendum arduum & multis temporum vicissitudinibus inuolutum argumentum, in quo sane magnus existit sententiarum dissensus. Iam *Reinoldum, Vinnium, Huberum* & alios laudatissimos Viros refellendi onus suscepisti, sed quo grauior hic esse videtur labor, eo maior exinde in *Te* redundat doctrinae gloria. Gratulor *Tibi* hac de *Tua* felicitate, gratulor de studiis academicis optime peractis cum, quantum temporis spatium in hac loci opportunitate ad veram *Tibi* comparandam iuris cognitionem, versatus fueris; tanta assiduitate litteris incubueris, tanta virtutum praestantia reliquis *Te* commendaueris, vt non potuisti non omnium fere *Tibi* animos conciliare. Iam spe quam quisque de *Te* concipere poterat impleta immo superata, aditus *Tibi* patet ad honores quos patria *Tibi* offert, quibus vt quam diutissime, sereno *Tibi* coelo dato, fruaris, sincero animo opto. Praeterea gratias *Tibi* ago quas possum maximas, quod, et in hac vltima occasione, humanitatis *Tuae* liberalitatem in me contuleris, et vt in posterum, si a nobis discesseris, hanc mihi semper serues mentem, quam mihi huc vsque testatus es, *Te* vel maxime rogatum esse volo atque iubeo,

Vale. Scripsi die XXVI. Iunii  
MDCCLXXVI.



AMICO SVO EX PAUCIS LECTISSIMO  
**R E S P O N D E N T I**  
 ORNATISSIMO  
 S. P. D.  
**GOTTLOB CHRISTOPHORVS HENNICKE**  
 OPPONENS.

**V**ix a me impetrare potui, vt hoc, quicquid est litterarum ad Te scripserim, non quod laudi Tuae inuideam et reliquis amicis certatim laudantibus atque gratantibus, gratulandum Tibi non censeam: Minime gentium! Gratulor Tibi potius ex animo et iure gratulor non solum de experimento doctrinae publica disputatione ediro, sed de transacta cum laude et virtute vita academica. Quicquid vero gratulatio laeti habet id omne discessus Tuus, qui illam comitatur exacerbat. Ex quo enim mihi contigit occasio naturalis ingenii Tui, ad omnia dexteritatem, comitatem morum grauitate temperatam, studia humanitatis atque iurisprudentiae Tua propius noscendi, ita Te adamaui et in deliciis habui, vt aegre Te a me diuelli patiar, et, si qua votorum vis esset, discidium Tuum certe morarer. Verum enim vero necessitati parendum et molestia animi mei commodis Tuis cedat, oportet. Revertere igitur Amice lectissime suavissimeque, in sinum parentum atque amicorum tuorum bono cum Deo, omnia Tibi et feliciter eveniant, consent Tibi laetissimi vberrimique fructus, virtutis industriaeque Tuae et in rebus Tuis secundis, respice amicum Tibi additissimum. Vale iterumque vale. Scripsi Traiecti cis Viadrum die xxvi. Iunii. MDCCLXXVI.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle

007 520 611


3



W18







22

1776, 4

4

DISSERTATIONEM IVRIDICAM  
DE  
QVARTA DIVI PII  
EIVSQVE  
VSV HODIERNO

\*\*\*\*\*

PRÆSIDE  
D. LVDOVICO GODOFREDO MADIHN  
IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD.  
ET FACVLT. IVRID. ADS.  
IN AVDITORIO IVRIDICO

*Handwritten:* 244

PVBLICE DEFENDET  
D. IVNII MDCCLXXVI.  
H. L. Q. C.  
IOANNES DAVID WVSTROW  
BEROLINAS.



---

TRAIEGTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

